

bis. Sed latus CD , uersum, cuius quidē rei hic signum ponitur. Hoc perfecto, aptabis regulam quadratam in latitudine & spissitudine uni ex primis quatuor equalem, sed in longitudine debet esse tanta, ut ab angulo quadrati totius, in angulum oppositum protendatur. In medio huius secundum longitudinem in superficie latitudinis, ducatur linea utroque lateri longitudinis æquedistans, & sit linea AE . Cum itaq; regula AE , ponitur super latus quadrati AB , erit linea AE , directe supra lineam AB . coniungatur igitur A , cum A , ita quod in capite per regulam AE , similiter per latus AB , coniuncta in punctis A , & A , fiat unum foramen rotundum in quod mittatur clauus aut axis rotundus seu teres, ut regula AE uolui possit hac atq; illac, super duabus faciebus laterum BC , & CD . Ea tamen pars regulæ AE , quæ pertingit ultra latus quadrati BC , debet aptari à parte interiori, medietatem abscindēdo usq; ad lineam AE , ita ut uideri possit quo in loco linea AE , per mediū ipsius regulæ ducta contingat diuisiones laterum prædictas. Sic inter A & B , integra est, post uerò media. Præterea super hac regula AE , aptari debent due pinnulæ eiusdem altitudinis & quantitatis in parte integra, una prope A , altera prope B , dum ipsa super AB , iacuerit, quarum foramina directe poni debent super lineam AE , perpendiculariter, ut radij solares aut uisus dum usus fuerit, penetrare possint. Tandem lateri AB , à parte interiori applicabis filum cum perpendicularulo. Itaq; duo foramina æquedistantia à lineam AB , sint, per quæ filum pendeat, cui uersus B , filo plumbum adhæreat, cuius ministerio scire possis, dum instrumentum super latus BC , situatur, an recte & orthogonaliter lineam AB , eleuetur, quod in altitudinibus Solis & stellarum accipiendis necessarium est. Sic habes instrumenti compositionem.

r ij